

/ Serenissime Princeps, Domine observandissime. Verissime scribit Serenitas vestra episcopum Bambergensem proxime defunctum omnem operam dedisse, ut fumos venderet, quibus oculos hominum excaecaret, ut turpitudine eius non appareret; sed credat mihi Sere-  
5 nissima Celsitudo vestra, ego fumos illos numquam emi, qui ex literis veridicorum amicorum omnia noveram, et non semel, aut iterum, sed frequentissime Summum Pontificem certiores feci, et hortatus sum ad ultima remedia experienda. Placuit vero Deo superabundanter facere, quam petere, aut intelligere potuissemus; nam neque tam ce-  
10 lerem mortem oppressoris illius ecclesiae, neque tam celeram electionem tam boni pastoris umquam sperare ausi fuisset. Quamvis autem non dubitemus Reverendissimum electum talem fore, qualis a Serenitate vestra, et ab aliis communiter praedicatur, imo etiam spem de ipso conceptam superaturum; tamen exhortationes, et consi-  
15 lia Celsitudinis vestrae Serenissimae multum omnino illi proderunt ad cursum inchoatum in via Domini feliciter consummandum. Quod attinet ad confirmationem brevi expediendam, et ad sumptus declinandos; egi quantum potui cum Sanctissimo patre nostro, et cum Illustrissimis collegis, ac potissimum cum ordinum capitibus. Et quidem  
20 confirmationem celerrime expediendam Summus Pontifex certo mihi promisit, et iam re ipsa praestitit in hodierno consistorio. De sumptibus declinandis, aut minuendis nescio quid sperare possim, et cum res ista a multis dependeat. Ego certe conatus sum persuadere omnibus quantum potui, ut gratis expedirentur omnia, tum propter  
25 electi meritum, tum propter grave aes alienum quo ecclesia illa premitur; sed, ut dixi, quid futurum sit non audeo affirmare. His precor Serenitati vestrae a Deo prospera, et secunda omnia, meque ipsum offero ad obsequia omnia praestanda paratissimum. Romae die 4 novembris 1609.